

TIONES.
eripi premia
io, quod Simo-
ro tertio Epip-
allia sui tempo-
(inquit) in re-
ut studiosi
dem Sionius
rum, non de-
eclara, & est
nus bene me-
ae, ut loqui-
li merentur
si qui sint.

FRAN-

FRANCISCI BALDUINI
JURISCONSULTI
JURIS CIVILIS
SCHOLA ARGENTINENSIS.

FRANCISCI BALDWINI
JURISCONSULTI
JURIS CIVILIS
SCHOLA ARGENTINENSIS



V
D
SCH



in vestrum
illimit' coo
causa: n
mihi esse p
nere sente
abs voi
nomine p
in hac ad
mediã pr
criptam, qu
osque, u
vobis au
confirmat
bus nunc
loquentia,



VIRIS CLARISSIMIS
DOCTORIBUS
SCHOLÆ ARGENTINENSIS
COLLEGIS SUIS.



Cùm vestro consilio, judiciòque communi, & eorum, ad quos retulistis, voluntate, & amplissimi denique Senatùs auctoritate in vestrum doctissimum collegium, Viri clarissimi! cooptatus essem, Juris Civilis docendi causâ: multis de causis faciendum initio mihi esse putavi, ut, quæ mea esset de illo meo munere sententia, non solùm ederetur, sed & quæ abs vobis comprobata est, vestro etiam in nomine publicè appareret. Eam itaque, ut in hac adhuc meâ librorum destitutione, & mediâ prope peregrinatione potui, perscriptam, qualem de me in scholâ audiistis, vobisque, ut debui, inscriptam in publicum do, vobis auctoribus, vestràque subscriptione confirmatus. Quales sint, quantique viri, quibus nunc adjungor, & quàm præstantes Eloquentiæ, Philosophiæ, Theologiæ Doctores,

res, atque Magistri, non ignoro. Jurisprudentiam tali, tantoque collegio dignam ut afferam, mearum nunc partium esse scio. Sed cum voluntatem profecto bonam, etsi non eadem fortasse facultas sit, & vobis, & omnibus bonis gratam fore confido, tum verò operam dabo, aliquid ut pro meâ mediocritate conferam, quod & hac nostrâ societate non indignum, & abs meâ quâdam pollicitatione, vestrâque expectatione non esse alienum videatur: intereâque semper meminero nobilissimæ illius, veterisque Legis Romanæ, quæ non modò summum esse nefas judicabat, in amplissimi Sacerdotii collegio summam non esse amicitiam: sed etiam jubebat, ut à quo quis inauguratus esset, parentis eum loco semper coleret. Quâ ego etiam ratione STURMI! totâ vitâ, ut debeo, & Tu de me es meritis, ita sanctè colam, ut pietatis, atque observantiæ erga Te meæ, qualem de filio expectares, nunquam Te expectatio fefellisse videatur. Argentorati, Idibus Martiis.



ORATIO

HABITA

IN

AUDITORIO

SCHOLÆ ARGENTINENSIS

ANNO MDLV.

MENS. MART.



Quod ego jam pridem abs DEO
Optimo Maximo magnis sæpe vo-
tis precatus sum, Viri Clarissimi!

ut Jurisprudentiam veram cum verâ Religione,
& hujus confessionem cum illius professione
liberè conjungere aliquando possem, id nunc
mihi videor magnâ ex parte consecutus, cùm
in hanc optimam, nobilissimæ civitatis acade-
miam, quam ante annos prope decem invise-
ram, quodam veluti postliminio sum rever-
sus, & vero in ejus præclarum collegium,
ut Jus Civile doceam, ultro cooptatus. Ve-
neram equidem cùm aliis publicis de causis,
tum etiam ut doctorum virorum, qui hanc
scholam exercent, doctissimum chorum salu-
tarem.

rarem. Idque cùm facerem, non potui non gratulari Reipublicæ Christianæ, & immortalī DEO gratias immortales agere, cujus beneficio, & providentiâ singulari fieri intelligebam, ut in horum temporum intemperie tantâ, tantâ rerum omnium perturbatione, atque disiectione, quædam tamen adhuc starent civitates, in quibus esset & religionis, & bonarum artium aliquod domicilium, atque sedes. Inprimis autem præclaræ hujus civitatis schola, non solum sapientissimè initio constituta, sed difficillimis quoque deinde temporibus constantissimè defensa, atque conservata illius meæ gratulationis causa fuit. Verùm huic scholæ fausta omnia tacitè in posterum precatus, non ausus præterea fuisset ultro consilium illi publicè communicare meum de studiis Juris Civilis, quæ quidem in eâ non tam esse deserta, quàm intermissa videbam, aliquando repetendis. Non enim hominis prudentis, ac verecundi hoc fuisset, qualem me fortasse natura finxit: neque consilio illa meo habet opus, quæ abundat hominum prudentissimorum sapientiâ. Sed quod eram tamen fortasse facturus, studiosorum adolescentum rogatu, vestræque auctoritate commotus, ne & officio meo, & causæ bonæ, quam deserere mandatam non debeo, deesse viderer, multò jam certè magis faciundum mihi esse intelligo, cùm & eo vos esse videam erga rempublicam animo, ut justæ Jurisprudentiæ studia excitare valde velitis, & eo de me judicio,

ut

ut eorum studiorum idoneum esse me ducem putetis, atque ut hîc esse velim, etiam petatis, non tam ullis profectò meis meritis, quàm liberali vestrorum erga me animorum inductione impulsî. Ac ego quidem, cùm hujus honoris causâ, quem mihi ultro deferatis, vobis gratias egero, nihil est præterea, quod de me magnopere dicere aut velim, aut possim. De meâ verò, meique ingenii mediocritate, vel tenuitate potius, non invitus confiteor: ultro etiam profiteor, plus fortasse vos de me vobis polliceri, quàm ego præstare possim. Sed iudicio tamen vestro delectari me, & hâc expectatione commoveri non dissimulo, ut, quicquid illud est, quod possum, si quid possum modò, conferam in usum communium studiorum: vestrumque esse patiar, si quid in nobis fortasse videre vos existimatis, quod ipsi non videamus: & verò ne ingratus esse videar, etiam imitabor LICINIUM illum CRASSUM Jurisconsultum adolescentem: qui cùm centuriatis comitiis Pontifex Maximus ultro renunciatus esset, quâ ætate vix dum Aeditilitatem petere audebat, tali, tantoque populi Romani favore delectatus, publicè professus est, se illi, & reipublicæ perpetuò addictum, obstrictum, deditum fore, daturumque operam, ut, quod sibi munus deferri audiebat, quâ posset, fide, & religione tueretur. Sed quoniam de me, ut dixi, loqui non institui: orationem meam ad id, de quo quæritur, convertam, primùmque dicam, omnino suscipiendam

piendam esse, quam scholæ civilis instaurationem instituistis: deinde exponam, quod de me quæritis, quid ad eam rem maximè conducere posse putem: non quòd esse in me aliquid consilii existimem, vel iudicii, quod in vobis non superfit, sed ut rogatus sententiam vobis meam aperiam.

Equidem non ignoro difficilem videri, & esse fortasse, his præsertim temporibus, instaurationem alicujus scholæ sapientis, quæ quidem Jurisprudentiam, quam ego vobis tum requiro, docere possit. Nam ut rerum nunc bonarum, sic est hujus disciplinæ non solùm magna dissipatio, sed etiam corruptio. Verùm tantò magis operam dandam esse puto, ut, quæ malè dissipata sunt, bene iterum coalescant: tantòque magis laudandam eorum esse virtutem, qui nullà difficultate deterriti, nullàque desperatione debilitati tales etiam ruinas fuleire student. Magna certè olim JUSTINIANI nostri laus fuit, quòd Peritiensem Juris Civilis academiam, quæ terræ motu absorpta cum professoribus, & discipulis fuerat, rursus paulò post excitatam auxit, atque ornavit. Vos eadem, & fortasse etiam major manet gloria, si non solùm hoc exemplum imitati, sed majus etiam quippiam, & præclarius suscipientes, operam datis, ut, quod reipublicæ nunc salus postulat (postulat autem, quod agitis) magis, atque magis faciatis, atque etiam inchoatum hoc ædificium altiùs aliquando tollatis.

latis. Nulla est enim novi operis nuntiatio, servitus alius non tollendi nulla, quæ id impedire jure possit. Obturbent licet importuni quidam, & ambitiosi homines, qui, cum in magnis, nescio, quibus Gymnasiis regnant, multosque abs verâ studiorum ratione abductos tenent quibusdam præstigiis fascinosos, etiam putant aliorum omnium luminibus obstruere se suo quodam jure posse, suo verò prospectui officii non posse. Atque ut eorum fortasse fraude nunc humiles adhuc, & raræ sint scholæ bonarum partium: tantò tamen magis, ut indices coalescant, contineantur, augeantur, providendum est. Dissipentur sanè scholastici illi cœtus, qui nullum suis studiis finem bonum statuunt. Illicita esse judicentur, ut sunt, talia collegia, neque jus habeant cœundi. Sed bonorum studiorum reliquias, etsi dispersæ sint, esse colligendas: & disjectas, palantesque eorum turmas, veluti signo dato, altèque sublato esse cogendas videris, neque ignoratis, quid tandem alioqui portendat vel ruina, vel dissipatio bonæ, atque sapientis alicujus academix. Certè universæ reipublicæ ruinam, atque interitum portendit. Non est hæc mea, non nova, sed veterum sapientum vetus præmonitio: extatque apud HERODOTUM antiquissimum, ut scitis, scriptorem: qui de Chiorum excidio, quod puerilis eorum scholæ casum, & calamitatem consecutum erat, loquens, talia esse solere

prodigia monet, quæ mox interituras esse civitates ante denuntient, atque prædicant.

Verùm hæc ipsa perfectò significatio curam excitare nostram debet, ut talibus ruinis, atque periculis occurramus: & quò major, tristiórque rerum humanarum perturbatio impendere videtur, tantò majorem operam demus, ut, qui rebus etiam affliëtis consulere, & mederi aliquando posse videntur, eâ doctrinâ, quâ magis, atque magis confirmari poterunt, instruantur, atque præmuniantur. Si qua autem est vel scientia, vel doctrina, quâ valdè habeant opus, & quâ civitas nulla, nulla hominum societas carere possit, religiosa profectò est quædam prudentia, quæ justis, atque injustis scientia quoque esse dicitur. Cujus quidem doctores, & magistros laude dignos esse, vix ullus tam barbarus est, qui non agnoscat. Sed quia vix ulli essent, esseque possent, nisi si aliis præsidiis defenderentur, atque adjuvarentur, major etiam eorum laus est, qui, ut illi sint, esseque & velint, & possint, efficiunt. Olim Romæ Prætorum collegium rem magnam sapientissimè providisse visum est, cum statueret scholam aliquam esse instituendam, in quâ juvenis doceretur denarios probare, & probos nummos ab adulterinis rectè discernere; cumque ex eo collegio unus MARIUS GRATIDIANUS eâ de re, deque tali ludo aperiendo legem tulisset: non modò multis vicatim statuis eum, honoris causâ,

causâ, dignum esse judicavit populus Romanus: sed eas etiam statuas propè adoravit; certè divinis honoribus affecit. Quas verò vobis statuas debet hæc ætas, Viri Argentinenses? Quos putatis, honores reddet grata posteritas, si multò melioris, magisque in republicâ necessariæ & scholæ, & doctrinæ auctores sitis? Sed hanc, opinor, orationem hoc tempore non requiritis, neque ullâ cohortatione opus habetis, ut id faciatis, quod tanto studio facitis. De jurisprudentiâ verò Romanâ, ejusque libris, & studiis quid & sentiam, & sentire, atque statuere oporteat, quæritis. Dicam igitur, quando ita vultis, sententiam eâ totâ de re meam: & dicam liberè, atque ingenuè, ut & soleo, & debeo: neque tam mei ipsius, quàm veritatis rationem semper habebò: & mihi potius omnia, quàm huic quicquam detraham. Sed quia ad homines sapientes, atque intelligentes hæc oratio est: faciam, quantum potero, ut illius quoque veteris interea legis meminero: *Loco senator sententiam dicat, & modo.*

Cùm de Jure Civili, ejusque libris, atque studiis multæ, variæque multorum, & discrepantes sententiæ sint; illa mihi sapientissima semper esse visa est, quæ Juris Romani cognitionem, si religiosa sit, retinendam, atque excolendam esse censet: inepta verò, & intemperans aliorum oratio, quæ in eo Jure Romano vel laudando, vel vituperando mo-

dum adhibent nullum. Nullo enim iudicio id eos facere, illud ipsum ostendit. Neque recti iudicii quicquam esse potest, ubi in rebus dijudicandis (quod plerumque tamen fit) vel importuno quodam odio, vel nimio, cæcòque amore ducimur: & modò stultâ quâdam, stupidâque earum admiratione, modò supino fastidio, superbòque contemptu distrahimur: neque tam rationis ullius ductu dirigimur, quàm affectuum veluti fluctibus jactamur. Verùm aliorum sententias reprehendere nunc nihil attinet: Meam rogatis: rogatus dico, quod mihi videtur: Jurisprudentiæ Romanæ memoriam diligenter esse retinendam, cùm apud omnes populos, qui alicujus sunt humanitatis, tum verò apud Germanos. Sed ad scholas non solùm literatas, sed etiam Christianas esse revocandam: & quæ non solùm erudita, sed etiam religiosa sit, in aliarum bonarum artium veluti collegium esse cooptandam. Cujus ego sententiæ capita singula ita perstringam, ut ex iis tamen colligi facilè, quod quæritur, possit, non solùm, ut, quæ nostra hac totâ de re sententia sit, sed etiam esse, quæ debeat, planè intelligatur.

Principio non invitatus fateor, ultro etiam profiteor, esse illud valde profectò concisum, quod ex veterum legum Romanarum tabulis, atque commentariis JUSTINIANUS collegit, & libris suis inclusum posteritati reliquit. Sed qualescunque reliquiæ sint, eæ tamen sunt, quæ

quæ reconditos thesauros continent maximarum rerum; vixque ulla usquam alia supersunt antiquitatis monumenta, quæ plus habeant aut veteris memoriæ, aut civilis prudentiæ, atque æquitatis: ut quò magis dolemus uberiores ipsos fontes esse intercisos, tantò magis debeamus hósce rivulos, qui ad nos permanarunt, continere: & tanquam superstites ex tristissimo naufragio tabulas studiosè colligere, sive linguæ latinæ, sive historiæ, & antiquitatis, sive Philosophiæ, sive juris humani nos ulla cura tangit. Non institui Jus Civile de more laudare. Factum id satis, superque alias est, neque apud vos nunc est necesse est, ut fiat. Mitto itaque pervulgatas ejus generis laudes, quibus nemo quisquam quicquam detrahit. Illud nunc dico. Quæ in scholâ Grammatici, Dialectici, Rhetorici, Historici, Philosophici libri versantur, versari etiam debere libros Romanæ Jurisprudentiæ: eum quidem & hi illorum, & horum illi conjunctionem planè requirant. De foro, & judiciis, in quibus toti sunt, & regnant, nondum loquor. Intra scholasticos adhuc parietes orationem meam contineo. Sed quo jure in eorum quoque auditoriis magnus maximarum rerum thesaurus, ut est, esse creditur, vel M. TULLIUS, vel T. LIVIUS, Pandectas eodem quoque habendas esse loco, semper existimavi: atque ut ita existimarem, non levis aliqua, & inanis persuasio fecit, sed ipsa me res coëgit. Ac siquidem, quod etiam in communi

vitâ quotidie vel agimus, vel loquimur, quôd-
 que legimus, vix possumus finè harum litera-
 rum aliquâ intelligentiâ planè intelligere, ut
 vix profectò possumus. Qualis, quantusque
 statim earum usus sit, quàmque necessarius,
 dubitare non possumus. Verba certè, quæ in
 quotidiano etiam nostro usu, inque quodia-
 no sermone maximè versantur: eorùmque &
 vim totam, & proprietatem literæ illæ optimè
 explicant, quæ res quoque ipsas describunt,
 atque ita describunt, ut puriùs, elegantius,
 breviùs, apertiùs describi, dicique non possint.
 Esse autem necessariam rerum cognitionem ad
 cognoscendam vim, & significationem verbo-
 rum, & horum significationem ad illarum
 cognitionem constat. Ergo & nobilissimi olim
 Grammatici (Grammaticos cum dico, nihil
 dico vulgare) cum juris peritis, & hi cum il-
 lis frequentes fuerunt: & utriusque ordinis li-
 bri, quanta hujus societatis utilitas fuerit, osten-
 dunt. Dialecticorum porrò studia cum studiis
 Jurisconsultorum multa habere communia
 quis non videt? Utrique enim operam dant
 ratiocinationi, & veri investigationi. Et verò
 SERVIUS Sulpitius artem juris solus olim tene-
 re dicebatur, quod arte dialecticâ id explica-
 ret: videnturque etiam interdum subtilitate
 cum Dialecticis Jurisconsulti certare voluisse.
 Idque vel unus in Pandectis de rebus dubiis
 non ignobilis locus significat. Sed hæc rursus
 contentio necessariam utriusque scientiæ esse
 conjunctionem significare etiam potest. De

Rheto-

Rhetorici
 ut multo
 accedunt
 quæstion
 ad Orato
 rius resp
 scripserit
 men part
 non recul
 utrasque
 simul juris
 nori juris ig
 norasset, si
 visset. Qui
 causarum lit
 diciales: si
 juridiciales
 erant. Est
 dem videtur
 que necessar
 voluntatis tar
 ex eaque jus
 que: tam ne
 requi æstima
 ctiores, & a
 facti quæstio
 rant, ut hæc
 & excellere v
 Jam ver
 tæ, & lectio
 nis quodam

Rhetoricis multò id etiã magis dicendum est: ùt multò etiã magis ad forum, propiùsque accedunt. Scio, diversas esse facti, & juris quæstiones, & has olim ad Jurisconsultos, has ad Oratorem relatas esse: neque quid AQUILIUS responderit, & alio rursus loco CICERO scripserit hãc de re, ignoro. Sed utrasque tamen partes sustinere nostri deinde Prudentes non recusarunt, & agunt eorum Commentarii utrasque: & olim multi erant & Oratores, & simul jurisperiti: neque MUTIUS SERVIUS Oratori juris ignorantiam exprobrare sinè pudore potuisset, si nullas ipse partes oratoris cognovisset. Quid multis? Ut Rhetores non solùm causarum status conjecturales, sed etiã juridicales: sic & nostri Prudentes non tantùm juridicales, sed etiã conjecturales pertractant. Estque singulis tam utilis (ùt mihi quidem videtur) collatio, ut propemodum utrisque necessaria esse videatur. Denique cùm voluntatis tantùm quæstio est, ùt est persæpe, ex eaque jus veluti dependet, ùt fit plerumque: tam non solùm illi nostri Consulti sunt æqui æstimatores, sed etiã ingeniosi conjectores, & acuti interpretes, tantùmque in his facti quæstionibus explicandis operæ potuerunt, ut hãc maximè in parte & excellere, & excellere voluisse videantur.

Jam verò de historiarum veterum memoriã, & lectione quid dicam, cùm etiã historici quodammodo sint hi, de quibus loquor,
libri

libri Juris Civilis? neque solum veteris reipublicæ Romanæ Leges, mores, magistratus, judicia describunt (quæ cum describunt, certè illius formam, & effigiem exprimunt) sed & posteriorem ejus jam immutatæ faciem, & translati in Orientem Imperii statum, atque conditionem expressam habent, & eorum temporum, quorum alioqui vix ulli satis idonei scriptores sunt, memoriam conservant. Quid dicam, historiæ quoque Ecclesiasticæ partem hic inclusam esse? Nam & Constitutionum Codex, & volumen τῶν Νεωτέρων (*) etsi nullum fortasse habeat ejus orationis aut lumen, aut florem, cujus elegantiam in Pandectis admiramur: habet tamen multa, quæ ad veteris Ecclesiæ non minùs, quàm Imperii formam cognoscendam pertinent: & sinè quibus in magnâ multarum veterum rerum civilium, atque Ecclesiasticarum ignoratione versaremur.

Cæterum ut historia hisce Jurisprudentiæ veteris monumentis (lacera licèt, & mutila fragmenta esse videantur) opus est: Sic jurisprudentiæ hujus lectio, historiarum, totiusque antiquitatis cognitione carere non potest: vix ut mecum statuere adhuc potuerim, utra magis alteram requirat, & utram alterâ minùs carere posse existimare debeam. Ut autem historia memoriam habet facti, de cujus deinde jure quæri potest, atque solet: Sic in hisce nostris (nostros sæpe appello, quibus ope-

(*) Recentiorum, Novellarum.

operam damus) libris, has ego duas observa-
re, atque discernere soleo partes. Nam &
PROCLUS noster admonuit, extatque in ipsis
adhuc Pandectis ejus admonitio, spectandum
esse non solum, quid Romæ factum sit, sed
etiam, quid fieri debuerit. Atque hoc qui-
dem juris, & facti discrimen imprimis tenen-
dum esse existimo, & ex ejus ignoratione, at-
que confusione magnos esse ortos errores non
ignoro. Tantumque abest, ut jus statim esse
credam, quo utendum sit, quidquid in hisce
libris legitur, ut non solum iis, quæ ab usu
remota, publicæque jam repudiata sunt, juris
auctoritatem, & nomen, & vim nunc detra-
ham: sed multa præterea, in quibus vulgus
obstupescit, eodem loco habeam, & habere
me bono jure posse credam: & historicam tan-
tum narrationem quandam esse profitear.
Sed eorum memoriam propterea aut inutilem,
aut inanem esse qui putant: næ illi historias
omnes inanes esse, & inutiles fabulas esse
putant. Imò verò etsi res levis, & pue-
rilis, & prope inanis fuisse videatur, aut festu-
ca, & vertigo in manumissionibus fervorum,
aut in emancipationibus, atque etiam in testa-
mentis imaginaria venditio, aut in interdictis
vis festucaria, aut in jure cessio, aut vindi-
ciarum formula, & id genus plurima veterum
Romanorum (ut ita loquar) ludicra: tamen
hæc ignorare hominem literatum, si cognosci
possunt, turpe esse existimo. Jactant interdum
Jurisconsulti suos illos actus (ut appel-
lant)

lant) legitimos, qui olim in populi oculos incurrebant, nunc valde obscuri sunt. An si, utcumque tamen rursus videri, atque intelligi possunt, & oculos obstruemus, & animum avertemus? Habent, fateor, & Romanæ Leges multas, quæ paucorum subtili quâdam intelligentiâ comprehendebantur, Θεωρίας (*) subtiliores fortasse, quàm naturalis æquitatis aperta simplicitas postulabat, sed mirabiliter tamen tenues, atque acutas. Leges sanè jam esse jure desierint. Iis nunc tantum non tribuamus, quantum earum auctores, suo ingenio nimium fortasse indulgentes, nimiumque ejus vi delectati tribuerunt. Dicantur etiam hi interdum nodum in scirpo non solùm ultro quæsiisse, sed & otiosè nexuisse. At illud tamen ipsum saltem factum est memoriâ dignum, & cognitione: & est ingeniosa summi cujusdam juris, cujus apices illi consecrabantur, historia, quæ ad aliorum ingenium excitandum, exacuendùmque judicium valde utilis, si modus adhibeatur, esse possit. Cujus quidem juris acumen totum, si obtusi, hebetésque homines, priusquam etiam id viderint, aut videre potuerint, damnant: quid aliud, quàm de suâ nimium crassâ, nimiumque obtusâ hebetudine confitentur? Non utamur nunc sanè veteri jure *sui*. Suorum hæredum, & legitimorum jus tam fuisse subtile dicatur, ut contineri non potuerit, & abs lege naturæ

reces-

(*) Theorias.

recesserit, ab usúque tandem communi propterea sit remotum. Non reclamabo. Sed si quis propterea etiam dicat, ne quidem sciendum esse, quid illud, aut quale fuerit: næ ille, dum suæ inscitiae, atque ignorantiae excusationem captat, quid tandem dicat, ignorat: Scio equidem ambiciosos esse multos, quibus patrocinari minimè velim, nugatores in Gymnasiis Juris Civilis, qui in hæc veteris Jurisprudentiæ parte multa miscent, ut & ingeniosi videantur, & quæstum faciendo, scæque inaniter ostentando, atque venditando, adolescentibus rerum imperitis illudant. Sed de iis paulò post viderimus.

Reliqua Jurisprudentiæ Romanæ pars est juris perpetui, in qua certè illa, quæ de moribus, atque officiis agit, Philosophia suas habet partes: ut est etiam utrique communis hæc inquisitio justii, atque injustii, & utriusque eadem propè principia sunt: & in eadem olim plerumque schola educabantur juris, & Philosophiæ studiosi: & ex eodem denique ludo prodibant Jurisconsulti, atque Philosophi. Nam & **DIOGENIS** Stoici non solùm **PANÆTIUM**, sed & **RUTILIUM** auditorem fuisse accepimus: & in auditorio deinde **PANÆTII** **HECATO** stoicus condiscipulum habuit nostrum **TUBERONEM**. Quid justum sit, propiùs expendunt Philosophi, qui ad vivum omnia reserant. Quid verò in republicâ sit exigendum, prudentiùs considerant, qui sunt & rerum, & juris periti.

periti. Non enim nihil interest inter juris cognitionem, atque executionem. Ergò neque Philosophi jurisperitorum consilium, neque Jurisconsulti Philosophorum judicium contemnunt: sed operas inter se suas ita conferunt, ut hanc studiorum societatem necessariam esse & agnoscant, & fateantur; quam quidem si quis dissolvat, atque distrahat, utramque prope scientiam corrumpere videbitur: certè mutilam atque imperfectam relinquet.

Rectè in scholis ARISTOTELES justitiam illam, quam appellat *ἀλλαντικὴν* (*) & quæ in contractibus, & rerum permutationibus versatur, ad eam revocat æqualitatem, quæ proportionem (ut loquitur) Arithmeticam constat. Rectè in foro Jurisconsulti, cum ad usum ventum est, strictam hanc severitatem relaxant. Utriusque judicii nisi si rationem teneas, nihil agis. Audio, quod CICERO *de legibus* differens ait *Lib. 1. Cap. 5. non à Prætoris Edicto, neque à XII. Tabulis, sed peritus ex intimâ philosophiâ hauriendam juris disciplinam esse.* Verùm nisi si cum hac Philosophiâ jungas & XII. Tabulas Decem virorum, & Prætoris Edictum: equam tandem Juris disciplinam habebis? Quod igitur & in umbratili disputatione Philosophi acutè de jure differunt, & in rerum usu, medióque foro Prudentes utiliter respondent, tenendum est: & discriminis, si quod sit, ratio simul consideranda. Rectè enim alio quodam loco

(*) Commercialis ex contractibus manantem.

loco M. TULLIUS (*). *Aliter, inquit, Leges, aliter Philosophi tollunt astutias. Leges, quatenus manu tenere res possunt: Philosophi quatenus ratione, & intelligentiâ.*

Atque hic quidem, cùm ad rerum usum ventum est, mediâmq; in lucem judiciorum (in quibus legum sedes, ac solium est) Jurisprudentiæ non solum admirabilem majestatem videmus: sed & necessariam omnibus gentibus cognitionem ejus esse intelligimus: ut, qui hanc artem æqui, & boni tollere velit, solem de mundo tollere velle videatur. Hujus verò artis, jurisque perpetui descriptionem uberiorem ubi reperies, si abs libris Juris Romani discedas? Nam etsi fontes altiùs fortasse repetas, plenos tamen alveos hinc contineri constat, in quos confluisse videatur, quicquid olim annis propè mille, & ducentis (tot enim abs ROMULO ad nostrum usque JUSTINIANUM numerantur) in terrarum orbe, & nobilissimis imperiis, atque Rebus publicis fuit aut naturalis æquitatis, aut prudentiæ civilis, aut judicii ingeniosi: cujus deinde ad alias gentes rivuli redundarint. Itaque & barbari populi, & hostes ipsi, Romanis plerumque Legibus parere non recusarunt, quarum tamen auctoribus cedere minimè voluissent. Ipse etiam MITHRIDATES togæ Romanæ hostis, & hostis ferus, atque immanis, Mutia illa in Asiâ non
reve-

(*) *De Offic. Lib. III. Cap. 17.*

revereri non potuit; certè violare, cùm nullis alioqui sacris parceret, ausus non est, religione, opinor, & quâdam reverentiâ hujusce Jurisprudentiæ repressus. Quid multis? sint licet ejus auctores homines privati, atque ignoti, non Legislatores, non Principes: nulla sit eorum potestas, auctoritas nulla: ratione, & æquitate Jus constituatur, non exemplo, non auctoritate, tamen est quædam vis veri, bonique tanta, ut bonis aliorum judiciis non assentiri non possimus: & veris victi interdum etiam cedere cogantur, qui valde alioqui abs vero aversi esse videntur.

Equidem multos audivi, qui Leges Mosaicas nobis objiciunt & antiquiores, & sanctiores Romanis. Ego verò illas etiam in hac scholâ religiosè explicari vehementer gaudeo, ipsique Jurisprudentiæ gratulor. Mitto illud, non omnes latas esse, ut essent perpetuæ: multas fuisse (ut ita loquar) temporales; quasdam non omnium temporum, ut quæ de ceremoniis sunt; quasdam non omnium gentium, ut quæ de judiciis esse dicuntur. Sed cùm Jus Mosaicum præire valde velim, Jus Romanum subsequi etiam opto, & quod illo satis explicatum non est, ut plurima certè in eo prætermissa sunt, saltem ex hoc repeti debere contendo. Nulla Mosis Lex est inter eas, quæ de rebus civilibus perlatae, perpetuæ esse possunt, quam magis commendat PHILO, magisque naturalem, & omnium gentium, temporum-

porumque esse contendit, quàm sit illa, quæ est de intestatorum successione. Sit ita sanè. Primum in iis liberorum locum esse, & inter liberos primum esse filiorum gradum statuit. Rectè. Sed quid, si filius esse negatur, qui hæreditatem petit, ut sæpe negatur? MOSES nihil hac de re edixit. An ad Carbonianum Romanorum Edictum non recurremus? Quid si filius nondum natus, sed in utero sit? Nihil de posthumo scribit MOSES. An repudiabimus Romanas Leges, quæ sapienter respondent, Jus esse, ut is interea remoretur alios se infrequentes, & cum iis, qui eodem gradu sunt, concurrat, partemque etiam faciat? Quid si defunctus pater filium unum, & ex altero filio nepotes reliquerit? An nefas erit hos in sui parentis locum succedere? quod quidem Jus Civile Romanorum jubet, Lex Mosæ non exprimit. Si ex duobus filiis jam defunctis nepotes utrimque sint, an in stirpes, an verò in capita succedere debeant, sæpe quæritur. Nihil de eâ quæstione MOSES; Romani multa. An cum illo tacere, quàm hos audire malimus? Sexcenta sunt hujus generis. Sed uno ex multis proposito breviter exemplo, Romanâ nos Jurisprudentiâ omnino carere non posse, nullamque esse gentem, quæ illius saltem memoriam & in scholis, & in foro retinere non debeat, ostendere volui.

Dixi hætenus, Viri sapientissimi! quod primo loco dicere institueram: dixique, non,

quod rei dignitas postulabat, sed quod hoc tempus patiebatur, & apud vos satis esse putavi. Proximum nunc illud est, ut dicam: si omnium populorum intersit hujusce juris memoriam colere, ad Germanos maximè id pertinere. Cùm enim apud eos nunc sit sedes, & Romani Imperii, quaecunque sit hoc Imperium, quod jam reliquum est: & Religionis, si qua hujus sit sedes in hoc orbe terrarum, & justæ libertatis, si quid usquam ejus est reliquum, & optimarum denique artium, atque disciplinarum: dubium non est, apud eosdem imprimis etiam esse debere sedem Jurisprudentiæ illius, quæ hujus Imperii est, quæque & Romana sit, & religiosa, & libertate, literisque opus habet. Hancque in suo sinu colere eos debere potiùs, quàm ejus vel umbram alibi consecrentur, vel auditionem aliquam, eamque contaminatam procul petant, & abjectè redimant ab aliis vel peregrinis nationibus, vel impiis, vel servis, vel barbaris, atque illiteratis. Imò verò domi leges ipsi suas discant, easque dent aliis deinde gentibus. Vetus illud est MUTII nostri, turpe esse viro patricio Jus, in quo versatur, ignorare. At non minùs profectò turpe est, multòque etiam magis miserum, quarum legum edendarum, tuendarumque curam publicè cum potestate, & Imperio susceperis, earum nullam domi habere custodiam: sed eam totam iis, qui etiam hisce legibus teneri se negant, perinde, atque si depositum abjiceres, relinquere: neque solum in tuâ veluti

civi-

civitate peregrinari ignorantem civitatis tuæ jura: sed cùm sis civis, peregrinum fieri, ut illa tandem aliquando procul audias. Quid? quod huic tandem occidenti nostro redditæ sint Pandectæ illæ, in Oriente primùm editæ: quod in omnium nunc ore, & manibus versantur: quod in foro & scholis passim teruntur: denique quod hæ reliquæ non solùm superstites sint, sed totâ etiam propè Europâ collantur, Germanorum Principum, atque Imperatorum beneficium est, qui eas non solùm ab oblivione vindicarunt, memoriæ nostræ, & oculis obtulerunt, & ex tenebris in lucem revocarunt; sed publicè etiam in scholis doceri, & in tribunalibus audiri voluerunt. Fuit enim LOTARIUS SAXO Imperator sapientissimus, qui ante annos quadringentos hósce libros non solùm deterfit situ jam & pulvere, & sordibus obritos, sed & profundâ oblivione sepultos excitavit, justâque auctoritate rursus communivit, & in auditoriis scholasticis, atque forensibus regnare jussit. Ac eorum quidem archetypum exemplar, quod tunc in Apuliâ primùm repererat, Pisanis, à quibus contra *Rogevium Normannum* adjutus in eo bello fuerat, summi muneris loco donavit. Sed multa tamen in suam Germaniam exempla bene descripta reportavit, & cum suo Imperio bene propterea consuluisse, tùm verò magnam ejus partem recuperasse sibi visus est, ipsúmque etiam *Syllam* superasse, ex Asiaticâ Victoriâ libros ARISTOTELIS referentem.

Fuit deinde FRIDERICUS AENOBARBUS, alter Germaniæ fortissimus, atque prudentissimus Imperator, qui hujusce juris & studia excitavit, & studiosos mirificè est complexus, & eorum scholas multis privilegiis non solùm communivit, sed etiam ornavit: denique suam eâ ipsâ de re constitutionem JUSTINIANI libris inseruit. Et ad quos tandem magis hæc cura pertinebat, quæ cum ipsius Imperii possessione, & sceptro conjuncta est? Imò verò hujus Imperii pars quædam est hæc Jurisprudentia; ut est latinæ etiam literaturæ pars maxima. Quid autem illorum Clarissimorum Principum factum nunc vos moneat, vel potius quid imperet, atque præcipiat, vel, me tacente, satis intelligi potest; quod etsi contemneretur (sed contemni non potest) tamen liberorum vestrorum salus, Viri Germani! Vestrorum, iterum dico, salus liberorum, vestrarumque Rerumpublicarum dignitas non solùm postulat, sed etiam flagitat, ut domesticam habeatis aliquam hujusce Civilis Juris talem sive institutionem, sive informationem, ut eam aliunde repetere non sit necesse. Causas, cur id dicam, quæ multæ, magnæque sunt, nunc apertius dicere nihil attinet, neque fortasse dici possent sinè aliquâ aliarum Nationum offensione. Sed ab homine profecto non omnino vel imprudente, vel rerum imperito, intelligi facillè possunt. Ac fortasse quidem prudenter veteres Germani in iis, quæ cum Romanis olim feriebant, fœderibus, illud

(*) Regi

illud omnino caveri voluerunt, ne, qui germanus esset, civis Romanus fieri posset. Sed cum civitatis nunc Romanæ sedes ibi esse videatur, ubi ejus esse dicitur imperium, quæcunque hoc reliquum est: Juris certè Romani possessio eodem esse loco habet. Non enim hæret in capitolii ruinis, atque ruderibus.

Cæterùm (quod tertio jam loco mihi dicendum est) nihil profectò agimus, nisi si ad Christianas scholas revocetur jurisprudentiæ institutio, & religionis veræ cognitione imbuatur. Nam neque alioqui esse potest, quæ esse dicitur, divinarum, atque humarum rerum notitia: neque multis erroribus, quos profana informatio, & religionis purioris ignorantia circumfert, nullaque Philosophia adimere potest, aliquando liberari: neque eum, ad quem tamen se se referre debet, denique finem tenere. Et verò nisi si sua repetat principia abs lege divinâ, cui & suos veluti fasces submittere debet: nisi ad ejus regulam dirigatur, & in ejus veluti sinu contineatur, equò tandem evadet, solam humani ingenii vanitatem secuta? Quid dicam, quod omnes vident, qualis nunc erumpat ex auditoriis profanis? Scio, quantum, qui iis præfunt, suæ (ut appellant) sapientiæ, judicióque suo tribuant: neque id eos facere valde miror. Quid enim? Olim etiam EPICURI liber, nescio, quis gloriosè fuit ΚΑΝΩΝ ΠΕΡΙ ΚΡΙΤΗΡΙΟΥ (*)

P 4

eúm-

(*) Regula de Methodo judicandi.

eúmque illius discipuli jactare audebant esse *κανόνα* (ut loquebantur) *διοπετην* (*): & CICE-RO cœleste appellat hoc volumen de regulâ, & judicio, déque cœlo delapsam ad cognitio- nem omnium regulam, ad quam omnium judicia rerum dirigantur. Hoc fortasse exem- plo Epicuræi nunc quidam leguleji sua com- menta, cœlestem prope aliquam esse legem fingunt. Sed quò major est hæc humanæ cœ- citatis ambitio, & audacior insania, tantò est necesse magis, animum, judiciúmque nostrum ad divinæ legis lucem, rationémque religiosè revocare, præsertim cùm tam magnam esse sciamus in hominum animis, vitiatâque na- turâ caliginem. Dixit CHRYSIPPUS, & ex CHRYSIPPO descripserunt Jurisconsulti, ipsís- que etiam Pandectis est ascriptum, legem esse *κανόνα δικαίων καὶ ἀδικῶν* (**). Magna pro- fectò legis humanæ laus est, si vera sit. Sed ut sit, & hæc regula nunquam nos fallat, sem- per autem sit recta, ad ipsius veri, æternique DEI legem dirigi prius debere credimus. Neque verò tam ineptus sum, ut legem civi- lem præscribere, atque exigere debere cre- dam, quicquid divina vel exigit, vel præscri- bit. Fines enim, quibus utraque continetur, non eosdem esse scio: & teneo discrimen. Ac si Philosophum cum Jurisconsulto minimè
supe-

(*) Canonem de Cœlo delapsum.

(**) Regulam justorum, & injustorum. L. 2. *z. de L. L.*

superiùs confudi, conjunxerim licèt: certè jam Theologum adjungendo, cujus quæ partes propriè sint, scio, nihil confusè permiscere volo. Verùm horum veluti triumvirorum collegium lubenter audio, & audiendum esse puto, cùm in universum de Jure quæritur. Jurisprudentiam verò, si tota profana sit, vix nomen suum tueri fati posse sentio. Quid enim? Neque suorum studiorum, neque civitatum, quas tueri velle videtur, finem, in quem intueri debet, videt: qui certè finis est, esseque debet Religio, sive (ut in Sturmianis hujusce scholæ legibus religiosè scriptum est) pietas literata. At ne illud quidem ipsum, quid tandem sit, intelligere illa potest, & interea tamen in tenebris, & hoc suo errore ecquid non audet? Id scilicet ostenderent, si extarent, illi VARRONIS *Libri XXXXI. de rebus humanis, atque divinis*. Sed ex AUGUSTINO saltem, qui eos diligenter legit, fati intelligimus, & expressam, & laudatam in iis fuisse SCÆVOLÆ quandam de religione, vel potius de eimentitæ religionis imposturâ confingendâ sententiam, non dico, irreligiosam, atque profanam, sed tam in extremâ impietate impudentem, ut ejus etiam nunc me meminisse pudeat, pigéatque.

Verùm bene habet, nullum deploratæ, ac prodigiosæ illius insanix ne vestigium quidem esse reliquum in his, quos nobis JUSTINIANUS reliquit, libris Romanæ jurisprudentiæ.

Imò verò in iis, ipsius JUSTINIANI præclara vox illa est, se se Ecclesiæ & Religionis veræ non minorem, quàm vitæ, animæque suæ curam gerere. Digna certè vox, quæ omnibus legum literis, scholis, prætoris inscribatur: digna, quæ nostras semper aures circumsonet. Et verò nisi si finis hic religionis propositus sit, quid sibi volunt civitates? Et cur eas stare tam valde volumus? Imò quorsum nos vivimus? Quo tendimus? Quid agimus? Quid sibi nostræ leges volunt? Quid studia? Quid literæ? Utinam autem, quod de libris JUSTINIANI jam dixi, dici etiam nunc possit de omnium Jurisperitorum animis, defixam in his, altèque impressam illam esse JUSTINIANI sententiam: nullas verò superesse togatæ illius impietatis, quam SCÆVOLA olim docuisse dicitur, reliquias. Verùm cur jurisconsultos tam valde cupiam religionis veræ & amantes esse, & scientes, illa etiam causa est, quòd hoc alioqui hominum gens, cùm Ecclesiam quærit, sæpe aberret, & maximè omnium cæcutiat. Cùm enim defixi sint in regna, imperia, Respublicas, quibus regendis præsumunt: Ecclesiam iis non dissimilem, confingere sibi solent: tantoque eos magis crassa hæc imaginatio capit, quod theatri semper alicujus splendorem, in quo se se, suamque sapientiam ostentent, & tanquam in foro suo quodam, dignitate, & opibus elati regnent, ambitiosè requirant. Jam verò de Ecclesiæ ministeriis quales ii leges dabunt, qui, neque quid Ecclesia, neque quid ejus ministerium

rium sit
bunt be
qui nur
dentur,
insulur
quod di
esse Jus
ignorant
tuosum
tant, mal
jura misce
ubi in hon
dei? Porro
mur: ecqu
tionis neb
tes simus
nus dedit
stitionis,
ni Prudent
rum liberè
tim) non eli
Pandectis fi
liquit. Lo
occurrit. T
(ut loqueba
SCÆVOLA re
tiofissimam
spondisse n
JUSTINIANO
aliud est, q
scribere, id
signum im

rium sit, sciunt? Jus scilicet nobis suum dictabunt beneficiarium (ut appellant) quod tamen, qui nunc inter eos sibi astutiores leguleji videntur, quantum possunt, condiunt, ne omnino infulsum sit: licet esse aliud non possit, quam quod olim Romæ dicebatur, nequam semper esse *Jus Verrinum*. Neque hoc illi fortasse ignorant. Sed juvat tamen eos, & ut quaestuosum esse sentiunt, sic gloriosum esse putant, malos etiam coquos imitari, qui multa jura miscent. En, quò jurisprudentia recidit, ubi in homines incidit profanos, malaëque fidei? Porro etsi Pandectas tantum interpretemur: ecquas plerumque errorum & superstitionis nebulas offundemus, si profani interpretes simus? Magnam quidem operam JUSTINIANUS dedit, ut delerentur maculae veteris superstitionis, quibus libros suos inquinarent Romani Prudentes. Sed omnes profectò labe (si verum liberè dicere fas est, sed est fas, hinc præsertim) non eluit, neque facilè potuit: multas etiam Pandectis suis si non asperfit, certè asperfas reliquit. Locum nunc unum notabo, qui mihi occurrit. Testator quidam jusserat, signum Dei (ut loquebatur) statui in aede sacrâ. Consultus SCÆVOLA respondet statuam, eamque quàm pretiosissimam esse statuendam. Id SCÆVOLAM respondisse non miror: miror in Pandectas abs JUSTINIANO esse relatum. Quid enim hoc aliud est, quàm delirio ethnici testatoris subscibere, idolum in templo erigere, & id Dei signum improbè, falsoque appellare? Hoc certè

certè jus esse non potest, non justa lex, non responsum, quod vim legis habeat. Id itaque legemus, ut in ethnicorum libris multa, quæ non probamus, legimus, & historicam tantum narrationem quandam esse interpretabimur. Sed ubi tandem hoc fiet, fierique potest, præterquam in Christianâ scholâ? Multa sunt hujus generis in Pandectis reliquiæ veteris paganismi, quas profani homines, quia in legum veluti tabulas vident esse relatas, pro legibus, & oraculis nobis obtrudunt. Sed quorsum ea res evadat, videtis.

Porro ut jam nihil dicam vel de ufucapionibus, vel de usuris, de quibus interdum consulendum Jus Christianum est: quàm & frequentes, & graves de jurejurando, & nuptiis, divortiisque quæstiones sunt, quæ neque ex Romanorum, neque ex JUSTINIANI legibus definiri rectè possint? Nam & qualia JUSTINIANI tempora fuerint, & quales ejus assessores, scimus. Quid hic fiet, si Christiana melioris Ecclesiæ doctrina nulla statim occurrat, quæ in consilium advocetur? Quid? Cùm legemus THEODOSII, VALENTINIANI, atque ARCADII *legem de apostatis*, qualis in JUSTINIANI etiam *Codice* est? Si profanus sit interpres, pro lege nobis aliquam Novatianam hæresim obtrudet. Denique de crimine hæreseos, ejusque pænâ quales nunc, & quam multæ quæstiones sunt? Qualia verò de iis sint judicia eorum, quos aut vera religio non regit, aut ejus ignoratio præci-

pites

pites agit, satis opinor, ætas nostra videt. Et dubitamus adhuc, jurisprudentiam Christianam esse debere, inque ludo esse religioso educandam? Quid igitur facimus? Magna profectò ætate nostrâ bonorum studiorum contentio fuit, magna eruditorum hominum industria, ut Juris Civilis libri, quorum lectionem, & scripturam barbara tempora fœdè contaminarant, emendarentur: antiquitatis memoria, quam profunda deleverat oblivio, excitaretur, & litteræ illæ, sinè quibus legum Romanarum monumenta liquidò intelligi non possunt, restituerentur: ingeniosè etiam, acutéque multa, quæ propter subtilitatem obscura erant, sunt patefacta. Neque sanè laudari satis possent doctorum hominum in re tam præclarâ bene positi labores: neque satis vituperari turpis illa, præfractaque barbaries, quæ beneficium tantum non modò non agnoscit, ut est ingrata: sed etiam, ut est insolens, superbè fastidit. Cæterum frustra illa, quæ dixi, omnia inchoata sunt, nisi si religionis doctrina fastigium imponat. Ut enim ex civilis disciplinæ renascentis flore fructum etiam aliquem Republica aliquando percipiat, altera hæc curatio, culturâque est necessaria; quæ nisi accedat, verendum etiam est, ne perniciosa sit illa tota prior eruditio. Jam enim audio multos in ordine jurisperitorum sedere, non tam illiteratos, quàm insanos, & fanaticos homines, qui prodigiosa deliria spargunt: multos, qui jus omne non naturâ, sed opinio-

opinione constare fingunt: multos denique non tam juris ullius, quam & ambitiosæ vanitatis, & nequitiae nimium profectò eruditæ, & Epicurææ denique impietatis novos magistros. Si ab his leges petantur: actum est de rebus divinis, atque humanis. Si non alios habet jurisprudentia doctores: nullam planè esse jurisprudentiam potiùs optemus. Quid igitur? Revocetur hæc, revocetur tandem aliquando ad Christianum aliquod collegium, cinctâ, septaque iis, à quibus divelli non debet, disciplinis. Doceatur, ubi non solùm literæ bonæ eleganter docentur, Philosophorum præcepta de moribus sapienter traduntur, historiæ omnium temporum prudenter enarrantur, sed & sacrae literæ, divinæ leges religiosè explicantur. Discat eam studiosa juvenus, ubi discere reliqua etiam illa potest. Discat leges regundarum civitatum, ubi etiam discet, cur & DEUS leges civiles perferri, & civitates coalescere, atque contineri velit: ubi denique audiet, leges quidem civitatum, civitates verò religionis causâ esse conservandas, & ad hunc suum finem referendas.

Hæc cum dico, videor illud etiam mihi, quod jam dicendum esset, non obscurè dicere, in hac imprimis scholâ, omnibus, quas dixi, literis, earumque præstantissimis doctoribus refertâ, & reliquis subsidiis bene instructâ docendam jurisprudentiam esse. Certè, si quod est cum literis liberum, & cum libertate Christianum

stianum collegium, in quod illa cooptanda sit,
 est in Germaniâ. Si quod in Germaniâ sit; est
 (quod sinè invidiâ dictum velim) in hac præ-
 clarâ imprimis civitate. Facit vestra non so-
 lum præstantia, Viri Argentinenses! sed
 etiam modestia, ut de vestris virtutibus, earum-
 que laudibus nunc nihil dicam. Sed illud mo-
 destè dicam: & Jurisprudentiæ me gratulari,
 quod in hoc rursus sit collegium cooptata, &
 ipsi etiam fortasse collegio. Utriusque enim
 interesse puto, ut illa in eo jus, & locum recu-
 peret suum. Quod quidem & hujus scholæ
 institutio prima postulat, & legis Sturmianæ,
 quâ primùm constituta est, memoria, atque
 auctoritas, opinor, fecit, ut Vos etiam postula-
 retis. Rectè enim, sapienterque illa de litera-
 rum ludis rectè aperiendis scripta providit,
 quidquid ad hujus literarii ludi veluti corpus
 componendum, partibusque suis omnibus tan-
 quam membris, & nervis continendum perti-
 net: ne corpus sit sinè pectore, sinè capite: ne
 caput sinè cerebro, sinè linguâ: ne cerebrum
 sinè mente, sinè judicio: ne lingua sinè sono,
 sinè voce. In quâ quidem lege cum perscri-
 ptum etiam esse videatur, quod ad eam, de quâ
 locutus sum, studiorum conjunctionem ma-
 gis commendandam pertinere possit, juvat,
 etsi meministis, nunc commemorare. Ait, il-
 lum DEI quasi interpretem & cœlestium rerum
 præconem Theologum eos etiam cognoscere
 debere, à quibus conservata est antiquitatis me-
 moria, & præscripta ratio constituendarum
 rerum-

Rerumpublicarum, atque familiarum. Jurisperitum verò indignum hoc nomine esse, si, quæ de Republicâ & moribus Philosophi statuerunt, ignoret: & amovendum à suâ curatione, si non cognoverit, quid Majores ejus, à quibus leges acceperit, egerint, neque legerit ætatum omnium historias. Et quoniam Christiana Respublica quasi imaginem Divinitatis exprimere debet, tenenda etiam esse illa, quæ DEUS literarum monumentis mandari à sacrarum rerum Scriptoribus voluit. Et cum è ludo jurisperiti, multi prodeant Regum Consiliarii, & gubernatores civitatum, vocem quoque ejus Rhetoricis præceptis esse erudiendam: & quia sæpe disceptandum est de jure, scire cum cæteris & illa debere, quæ traduntur à Dialecticis.

Hæc cum lego, non solum sapientissimè constitutum collegium, sed & ejus Auctores tantâ sapientiâ, & virtute viros valde admiror. Meminisse verò eorum non possum, quin & ipse quâdam hujusce scholæ veluti orbitate commovear, cum recordor, quales illa viros superioribus annis, patres, patronosque suos, præsertim duos, amisit. Quos ego sanè jam mortuos laudare sinè ullâ aut individuâ, aut assentationis suspicione possem, idque ut faciam, postulat hic locus. Sed acerbissimum hujus & civitatis, & scholæ dolorem, atque vulnus, quod ex tantorum virorum morte accepit, refricare commemorando non audeo. Illud tantum de JACOBO STURMIO & fundatore, & quàm diu vixit,

(*) Politica
(**) Archi

vixit, custode hujus scholæ nunc dicam: cum supra omnes suæ ætatis, & multorum fortassis aliorum temporum homines in eâ excelluerit Philosophiâ, quam Πολιτικὴν (*) appellamus, optimè etiam intellexisse, cur eam ARISTOTELES aliarum artium scribat esse ἀρχιτεκτονικὴν (**). Sed plures tamen, majorésque, quas homo sapientissimus providebat, habuisse causas, cur tam valde hîc vellet juventutem educari, atque doceri. Cujus profectò viri mors intolerabilis nunc nobis esset, nisi si superstites reliquisset hæredes sui etiam animi, atque curationis, non solùm nominis, atque sanguinis. Et quoniam hic te conspicio JOANNES STURMI? cujus ille & cohortatione excitatus est, ut hanc scholam institueret, & consilio in eâ instituendâ est usus: facere non possum, quin, quod eo tempore ad FRANCISCUM FROSSIUM Jurisconsultum scribebas, non solùm meminerim, sed alios etiam meminisse velim. Spero (inquis) brevi fore, ut ex hac republicâ ejusmodi prodeant, qui magnam vim ad erigendam jam inclinatam religionem sunt allaturi. Nihil tam facilè vitiatur, quàm puerorum, & adolescentum indoles, quæ sæpe numero, cum unam aliquam maculam suscipit, tota solet labefactari. Flexibiles eorum animi sunt in omnem partem, & quocunque inclinant, eò celeriter rapiuntur. Itaque præclarè

(*) Politicam.

(**) Architectonicam.

clarè de rebus mortalium merentur, qui se adolescentiæ informande dedunt.

Sed ut sapientissimæ hujus sententiæ, atque admonitionis recordatio Vos etiam ad id, quod nunc agimus, permovere potest, sic ego alteram ex eodem loco repetitam lubenter adjungam: Memini, cùm ante annos prope decem primùm huc venissem, & eo ipso tempore mortuus institutionum juris interpret in hac scholâ esset: MARTINUM BUCERUM (quem cùm nomino, qualem, quantumque virum nominem, scitis) mecum egisse de idoneo aliquo successore: multaque, cur eâ de re tam valde sollicitus esset, commemorasse: quæ quidem rum, cùm diceret, non satis intelligebam: sed ut postea intelligerem, ætas, & aliquis rerum usus fecit. Commemorabat, quæ pericula impenderent, si Germana juvenus hisce literis civilibus addicta, in profanis (ut fit) scholis etiam profanesceret. Quæ verò & rerum bonarum, & Religionis propagatio esse posset, si in Ecclesiæ alicujus Christianæ sinu, aliarum quoque nationum adolescentes Jus Civile cum religionis doctrinâ addiscerent. In ejus ætatis flore sitam esse spem totam futuræ reipublicæ, præsertim cùm ex eo ordine sint, qui deinde judiciis præfunt, Principum consiliis interfunt, civitates gubernant. Sed hunc florem in profanis jurisprudentiæ gymnasiis primùm elanguescere, & paulò post planè corrumpi conquerebatur. Nam etsi in pueri animo sit aliquod pietatis semen jactum, atque sparsum:

tamen

tamen priusquam radices agat, statim opprimi, cum puer nondum eâ ætate, eóve iudicio, ut ab eorum, quibuscum vivit, impietate, ejúsque contagione sibi cavere possit, procul in ea Auditoria relegatur, in quibus nihil videt, nihil audit, quod non ejus animum abs religione avertat. Magnam nunc esse & rerum malorum contagionem, & hujus contagionis luem, magnam ex hac lue perniciem adolescentum, & ex hac pernicie pestem reipublicæ. Se quidem cum suis Collegis sedulò illud agere, ut prima hæc ætas rectè instituatur. Sed nihil agi, si hæc catechesis paulò pòst effluat, & informatio adhuc recens deleatur.

Hærent hi etiamnum animo meo altè defixi sermones sapientissimi senis; Vos etiam eorum satis meminisse scio: neque alia commonefactio est necessaria, ut, quid nunc factò sit opus, intelligatur. Quid verò ille diceret, si non solùm in illis lusionis, & stultitiæ valde occupatæ ludis magnum adolescentum vestrorum gregem ab omnibus aliis melioribus literis abductum multos annos procul detineri videret: sed & ad impudentiam impietatis sensim pellici, & in EPICURI castra tandem perduci? Quid dicam, hosti denique ipsi furtim addici, atque mancipari? At cui hosti? non alicui CAMILLO, hosti minimè malo, cui discipulos aliquando suos perfidus ille *Falesiorum* pædagogus prodere voluit. Sed hosti: verùm nunc me reprimam: scio equidem, & magnâ cum voluptate recordor, & summâ cum læti-

tiâ prædico, multos in academiis, miserâ etiam illâ (scitis, de quâ loquor) servitute oppressis, delitescere viros bonos, doctorésque religiosos, qui mecum etiam persæpe deplorarunt, quod ego nunc vobiscum deploro: Sed malum, quod inviti etiam vident, tollere non possunt. Alii verò auctoritate, & gloriâ elati, quos (ut ille olim dixit Poëta) ducit hiantes cretata ambitio, quid non contrafaciunt? Quid? purpuram induet, mulam conscendet, sedebit in auditorio togatus aliquis *Epicurus*, fermento inflatus, & fastu, ut nova, nescio, quæ & barbara decreta, juris prope divini titulo, atque auctoritate donet: conceptisque etiam verbis, in eorum verba liberos vestros jurare jubebit: atque ita inauguratos, extortâ etiam prius talis inaugurationis mercede, ad vos remitter, utinamque etiam discessuris non infusurret arcanae illius, & reconditoris suæ prudentiæ novas leges, magnæ nunc scilicet sapientiæ esse, animo contemnere omne Numen: corpore coram omnibus idolis, dicis causâ, procumbere: si qua de religione controversia sit, spectatorem esse fabulæ, & utramque partem suaviter ridere. Si quod jus sit, regnandi causâ jus violandum esse. Hæc portenta aliquando audiri in hominum togatorum conventu, aliquis fortasse rerum imperitus non crederet. Utinam verò nihil esset causæ, cur, quod naturâ prope incredibile est, inauditum non esse dici aliquando possit. Sed quod dicitur, quod audivi, quod fit, quod vidi, dissimulare non est integrum.

Neque

Neque tamen adhuc id dicerem (non enim possum sine magno dolore, & nostri ordinis aliquo probro, & ipsius denique jurisprudentiæ nonnullo dedecore) sed rogatus ut dicam, quod rescire vos, si fortè nesciis, & vestrà, & reipublicæ fortasse interest, mentiri non possum. Nam neque legisse me negarem, si quis me interrogaret, an aliquando legissem vel TREBATIUM palam Epicuræum fuisse, vel DOMITIUM ULPIANUM fuisse quendam veluti carnificem Christianorum: neque ullam propterea jurisprudentiæ injuriam facere me existimarem. Neque mihi, opinor, reddenda nunc alia ratio est, cur in hac scholâ versari, quàm in aliâ malim. Multis jam annis Jus Civile docui liberali conditione in illustri Galliæ Collegio. Multi, cur nunc ex eo discedere non nolim, fortasse mirantur. Ego verò me in eo tam diu manere potuisse miror. Præterea nihil dicam. Sed ad id, ad quod ego vos animadvertendum non invitus cohortor, orationem meam reflecto, & iterum, iterumque repetens monebo, rem ut cogitetis esse animadversione vestrà dignam, juvenilium studiorum institutionem. Cum olim SCIPIO AFRICANUS Romæ ludos quosdam saltatorios esse audiret, in quos multi Romani pueri convenirent, atque etiam abs parentibus mitterentur: primùm non credidit. Ubi eos vidit, ingemuit, & gravissimam orationem ad populum habuit: cujus hæc adhuc verba feruntur: *Hæc quum mihi quisquam narrabat, non poteram animam inducere, ea liberos*

suos, nobiles homines docere: nobilitumque filios doceri praeftigias inhoneftas, eaque discere, quae majores nostri ingenuis probro ducier voluerunt.

Utinam nunc in ludis jurisprudentiae nulli praestigiatores sint, qui adolescentes non doceant etiam deteriora. Si sint, non est boni, non sapientis Magistratus eos tolerare. Et quoniam ex veteri republica Romana, ex qua leges repetimus, exempla etiam imitatione digna si sint, lubenter commemoramus, non praetermittam, quod opportunè nunc mihi occurrit. Cum olim Romae sophistae quidam Latini ludum aperuissent, factum statim senatus consultum est, Praetor ut curaret, atque animadverteret, ut si è republica, fideque sua esse videretur, uti Romae ne essent. Secutum est paulò post adversus eosdem & aliud justissimum Edictum censorium, LICINIO CRASSO Censore, atque juriseonsulto auctore, cum ei renunciatum esset, apud illos ambitiosae stultitiae otiosos magistratos, adhuc adolescentes multos desiderare dies totos. Sic igitur edixit: *Majores nostri, quid liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec quae jam sunt, non placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eò venire consueverunt, visum est faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam nobis non placere.*

Quod quidem suum deinde factum, atque iudicium apud CICERONEM defendens, ait, se se magistratos illos suo edicto sustulisse, quod apud eos juvenus Romana dedisceret pene discendo, neque tam acuerentur ejus ingenia, quam

quam ob
corrobor
inaque pe
id serpe
nunc pr
ris Civil
& praesti
que etiam
gasque ca
Magistros
ment: dig
fore, ut o
videantur,
is, cujus a
elas tota vi
nocent, ne
Poeta scri
gas: sed
cum in iis
Saltem, q
eruditi vide
(ut sunt) et
Si non
cumfertur,
ret, ab ho
conficta, ju
nunquam ce
aque barbar
scholae velur
ret. Vellen
profigare, t
qui potestis

quàm obtunderentur: & impudentiæ, quæ corroboraretur, atque audaciæ ludus esset. Se itaque putasse, boni esse Censoris, ne longiùs id serperet, providere. Hoc verò Censore nunc profectò habent opus scholæ etiam Juris Civilis, in quibus, nescio, qui Sophistæ, & præstigiatores illudunt juventuti, magnæque etiam suas illas vendunt imposturas, nugæque canoras, ut quidam olim Poëta dixit. Nugatores profectò, digni odio, etsi se valde ament: digni etiam execratione. Nam etsi fortè, ut otiosi non esse, sed esse ingeniosi videantur, subtilis, ut appellant, alicujus juris, cujus apices jaçant, tanquam araneorum telas totâ vitâ texant: tamen nihil agendo aliis nocent, neque solùm (quod alter quidam olim Poëta scripsit) turpe est, difficiles habere nugæ: sed est etiam reipublicæ perniciosum, cum in iis bonas horas malè multi collocant. Saltem, qui tali ostentatione volunt stultis eruditi videri, digni sunt, qui eruditus stultus (ut sunt) etiam videantur.

Si non aliam, quàm quæ aut vulgò circumfertur, aut in multis etiamnum scholis hæret, ab hominibus vel temulentis, vel fatuis conficta, juris Romani scientiam esse scirem, nunquam committerem, ut talem inscitiam, atque barbariem, & propè colluviem in hujus scholæ veluti sacrarium inferre voluisse viderer. Vellem potius, si quid in eâ tale esset, profligare, si possem: & vos, ut id faceretis, qui potestis, rogarem. Atque ut multò ma-

gis faceretis, vobis illud proponerem, quod avorum vestrorum memoriâ sapientissimus ille Pannoniæ Rex MATHIAS fecit. Sed officio satis meo fecisse nunc videor, cum profiteor non aliam me vel agnoscere, vel recipere jurisprudentiam, quam quæ sit & sana, & sobria, & sapiens, & erudita, & (quod in primis dicendum erat) religiosa. Quæ certè si oculis cerneretur, mirabiles (ut illæ ait) amores excitaret suâ. Non possum tamen nunc ejus vel formam describere, vel exprimere effigiem, qualem cogitatione fortasse meâ concipio: neque sanè conspici, nisi si in rem præsentem ventum sit, potest.

Quò minùs autem in eam veniant, multi fortasse deterrentur, quòd audiant rem esse non solùm difficilem, sed etiam propè infinitam. Si uno nunc verbo respondeam, quod NERATIUS noster respondit, & in ipsis etiam Pandectis occurrit, jus esse finitum, esseque non modò debere, sed etiam posse: proptereaque ejus ignorance nullâ esse dignam excusatione: magis fortasse quid olim fuerit, quàm hodie quid sit, dicam. Si adjiciam, quod antea dixit apud CICERONEM nobilis Jurisconsultus, nullius prope artis esse cognitionem faciliorem: vererem, ne ineptè nostram conditionem cum veterum conditione comparare viderem. Fateamur ingenuè, quod verum est, multum esse in hisce studiis difficultatis. Sed non est tamen tantum, quin studio, & diligentia superari facile possit. Fatemur, quod omnes vident, longos

gos ejus
rum par
rem mi
exilime
debet m
sed etian
affirmare
sit, facer
magna fit
que eorum
& fraude, i
borum. Q
ate quãdan
tatione met
VELORES te
quibus rar
tores, sive
quam suas
ntibus, qu
longâ mult
Sed alie
nos facere o
sumus, alie
nunc videar
& officium
quid ad eam
lem. Sed bre
cipis audiri
repetam. Si
CICERONIS se
libere, & c
tudo certè

gos ejus esse libros. Res enim singulas, ac earum partes vel tenuissimas persequuntur. Sed rem minimè esse infinitam, esse etiam, quàm existimetur, multò brevior, si ea sit, esse quæ debet magistri non solum doctrina, & eruditio, sed etiam diligentia, atque fides, non tantum affirmare ausim, sed sponsonem etiam, nî ita sit, facere non recusem. Quod enim hodie magna sit horum studiorum confusio, nullusque eorum propè finis sit: fit hominum culpâ, & fraude, indoctorum inscitiâ, malitiâ improborum. Quid dicemus, multos hoc agere ut arte quâdam, & inani spe, falsâque etiam ostentatione methodi fallant imperitos, & cùm PENELOPES telam texant, atque retexant, nescio, quibus tamen præstigiis fascinosos sive spectatores, sive auditores suos diu detineant, postea quam suas ad id operas semel locarunt iis civitatibus, quæ scholas pro nundinis habent, & ex longâ multorum morâ quæstum faciunt.

Sed aliorum missa faciamus peccata. Quid nos facere oporteat, ut spartam, quam nacti sumus, aliquando ornare etiam possimus, potius nunc videamus. Longa certè esset oratio, si & officium boni interpretis describere, & quicquid ad eam rem pertinet, commemorare vellem. Sed breve est, quod nunc volo: & ex uno, cujus audiri lubenter oratio solet, brevissimè repetam. Si vera illa olim fuit, ut certè fuit, CICERONIS sententia, Jus Civile interprete opus habere, & doctorem, unumque desiderare: multò certè magis nunc id verè dici posse con-

stat: nec opus est causas, cur interpretis operam desideremus, exponere: sunt enim manifestæ. De interprete autem, & doctore si quis me consulat, primùm respondebo, quod de SERVIO Sulpitio scripsit idem CICERO. Ait *in Bruto Cap. 41. Juris artem in hoc uno fuisse jurisconsulto, quod eam didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguum primùm videre, deinde distinguere, postremò habere regulam, quâ vera, & falsa judicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæque non essent consequentia.* Cùm autem prudentissimus hic scriptor (quem enim potius nunc consulam?) alio etiam loco monet omnem juris dubii controversiam esse aut ex ambiguo, aut ex contrariis legibus, aut ex ratiocinatione, aut ex scripto, & sententia: & quibus regulis hæc exanimanda sint, docet: magis etiam, atque magis describit ejus interpretis, de quo nunc loquimur, officium. Tandem verò cùm alio in libro de cognitionis, & scientiæ cupiditate loquens consulit, quid fugiendum sit, quid sequi etiam debeamus, non obscurè ostendit. Scribit duo tunc vitia vitanda esse: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temerè assentiamur: proptereaque adhibere nos debere ad res considerandas & tempus, & diligentiam. Alterum, ne nimis magnum studium, multamque etiam in res obscuras, atque difficiles conferamus, easque non necessarias. Quid dicam, quod hic rursus sapientissimus Censor

alio

alio quo
consulto
sed non
Ex his
faciend
verò, si
lex illa
jam pri
de requir
scholis du
quæ gener
ceptione
singulariur
bent & ex
strationes
quàm m
quando
scriptore
gister id
qui de ead
librum ad
modus in
atque fing
& ea solut
Nihil
bi omnibus
Neque vere
petuò infiste
proponique
enim vel or
modo possit
Edicti in Pa

alio quodam loco, sui temporis quosdam Jurisconsultos reprehendit, qui multa quidem acutè, sed non ad usum popularem de jure differerent? Ex his ego tanquam præceptis quid nunc mihi faciendum sit, non invitus audio. Dubitationem verò, si qua reliqua esset, omnem planè eximit lex illa Sturmiiana docendi, quæ huic scholæ jam pridem præscripta est: ut consilium aliunde requirere non sit necesse. Ait, tenendam in scholis duplicem viam, & rationem esse. Unam quâ generatim res universa traditur, nullâ disceptatione cum adversariis susceptâ. Alteram singularium rerum, quæ proprias quasdam habent & exceptiones, & quæstiones, & demonstrationes. Esse etiam alteram partitionem, quàm maximè sequi in scholis utile sit. Aliquando enim sinè auctore, nullòque proposito scriptore, artem aliquam doceri tunc, cum magister id potest brevius, & planius, quàm hi, qui de eâdem re scripserunt. Aliquando etiam librum adferri; in quo rursus bipartitus sit modus in docendo. Nam aut omnia ordine, atque singulatim excuti, aut quædam omitti, & ea solùm aperiri, quæ sunt necessaria.

Nihil sapientius dici, nihil utilius præscribi omnibus bonarum artium Doctoribus potest. Neque verò alioqui unam tantùm, in quâ perpetuò insistendum sit, viam proponendam esse, proponique rectè posse existimemus. Non enim vel omnes causas, vel locos tractare uno modo possumus, nec debemus. Perpetui certè Edicti in Pandectis prima certè consideratio esse debet,

debet, & in singulis quoque juris partibus adhibenda illa partitio: Jus omne pertinere vel ad res, vel ad personas, vel ad actiones: ut & generalem veluti regulam in Edicto, & in hisce deinde tanquam communibus locis uberiorem explicationem habeamus, ad eosque etiam responsa, & commentarios Prudentum referamus. Sed qui has primâ, tenuique informatione contenti sunt, facilè quidem, breviterque curriculum conficere suum possunt: verùm si perfectè in hac disciplinâ erudiri volunt, tam securè, & leviter eam percurrere non debent. Vult JUSTINIANUS primo studiorum civilium anno Institutionum libros quatuor, quatuorque Pandectarum priores, quæ ΠΡΩΤΑ (*) appellantur, in scholis explicari. Quâ potissimum ratione id olim fieret, conjecturâ saltem aliquâ nunc consequi possumus. Ad ejus itaque imitationem, quantum possumus, nos comparemus; sed cum etiam cogitamus, quales, quantique viri illis quoque temporibus essent, qui Antecessores appellabantur: quales tunc in scholâ Constantinopolitana THEOPHILUS & CRATINUS: in Berytensi DOROTHEUS, & ANATOLIUS, qui maximis in reipublicæ gubernatione muneribus, atque honoribus perfuncti ad scholas redibant: meminimus, neque humile, neque abjectum fuisse hoc professionis genus, neque jus tantum privatum, sed etiam publicum, prout hujus dignitas postulabat, explicatum: & de republicâ,

(*) Prima, seu Principia.

blicâ, &
graves t
si posse
scholar
inani ar
gis, a
cupidita
suo tem
una de c
appellat
ra (**).
blicas trac
publice,
de vectig
suos adole
bus causi
Cur non
juris suar
quam hab
cogitavi, q
busque ve
jurispruden
tam in act
que abs S
PHREARIO
esse. Salte
etatem, ori
circumstant
verò ad pru
taque, &

(*) Disputat
(**) Studium

blicâ, & iis, quæ ad rempublicam pertinent, graves fuisse sermones: quò magis aliquando, si possumus, assurgamus supra vulgarium scholarum *λεπτολογίας* (*) non ullâ certè inani ambitione elati, sed jurisprudentiæ magis, atque magis amplificandæ honestissimâ cupiditate incitati. Conqueritur ARISTOTELES suo tempore juris interpretes fuisse totos in unâ de contractibus juris privati parte, quam appellat *πραγματείαν περί τὰ συναλλάγματα* (**). Vult enim ab iis causas quoque publicas tractari, & leges de gubernatione rei publicæ, de bello, de pace, de fœderibus, de vectigalibus. Veretêsque Romani togatos suos adolescentes non modò in Centumvirali- bus causis, sed & in Senatoriis exercebant. Cur non optaremus majestatem illam publici juris suam quoque nunc in scholis sedem aliquam habere? Ac sæpe profectò mecum ipse cogitavi, quænam illa Atheniensium esset, quibusque vel præceptis, vel legibus constaret jurisprudentia, quam PLUTARCHUS narrat, totam in actione, & luce fori fuisse, primùmque abs SOLONE traditam, & abs quodam PHREARIO insigni Doctore postea explicatam esse. Saltem cùm ad legum, quas docemus, ætatem, originem, causam cognoscendam (quæ circumstantiæ minimè negligendæ sunt) tum verò ad prudentiæ perfectæ alicujus, cumulataeque, & planè eruditæ rationem, dignam

VIRO

(*) Disputationes de argutis, & subtilibus.

(**) Studium contractuum ex commercio ortorum.

viro in Republicâ magno, unum quippiam soleo desiderare, quod tamen unum hisce studiis adhuc defuisse videtur: perpetuam, dico, rerum civilium, atque Ecclesiasticarum historiam, non solum bono iudicio, justoque ordine contextam, sed iis etiam observationibus illustratam, quæ ex illa colligi possunt, & quibus ab homine togato illustrari illa debet. Quid igitur, si juris interpret, quo tempore in scholis cessatio est, domi veluti in hemicyclo sedens talem institueret orationem, quâ & facti veteris, & rerum in foro, vel Ecclesiâ olim gestarum, quæ quidem memoria in primis dignæ sunt, memoriam repeteret: & in eâ narratione non solum causas earum, sed & jus ipsum inquireret: non tam ut actum ageret, quàm ut de rebus olim etiam iudicatis placidè cognosceret, & sententiam, ubi opus esset, verecuandè quoque suam diceret. Equidem magnum, & difficile esse opus intelligo: sed est, si, ut desidero, confici posset, tam egregium, tamque excellens, ut interdum, etsi id præstare, atque efficere non possim, cupiam tamen, quidquid in eo fortasse genere cum studiosis communicare possim, ubi ubi licebit, reperiri, non tam certè perficiendi fiduciâ ulla (non enim tantum mihi tribuo, non arrego tantum) quàm aggrediendi, aliòsque simul incitandi honestâ voluntate.

Dixi, Clarissimi Viri? quàm brevissimè potui, de Jurisprudentiâ, ejusque & studiis, & scholis sententiam hætenus meam, quam ego quidem Vobis probari tam valde profectò cupio, quàm bene spero, fore, ut probetur. Sed dicere fuit meum, cum rogarer: de eâ judicare vestrum nunc erit: & meum verò, & vestrum, communibus votis bene precari, ut bonum, faustum, felixque Reipublicæ Christianæ sit, quod nunc Vobis auctoribus suscipiemus.